



Christliche Sitten- und lehrreiche Predigen ... durch das gantze Jahr

über die Fürnehmste Geheimnussen unsers Erlösers Jesu Christi: auf die
Fest- und Feyer-Täg der allerseeligsten Jungfrau Mariä: deren zwölf
Apostlen, und anderer Heiligen Gottes, so das gantze Jahr hindurch nach
Ordnung der Römisch-Catholischen Kirch feyerlich begangen werden

Schmitz, Michel

Augspurg [u.a.], 1748

Sechs und vierzigste Predig Auf Lateinisch. Von den Vortheilen des
geistlichen Stands.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75981](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75981)



Religiosus vivit purius; moritur confidentius.

Sermo habitus ad R. R. D. D. C. C. Regulares,

T H E M A.

Beati qui habitant in domo tuâ domine. Ps. 83. V. 5.



Uos hic David beatos, & felices prædicat; potissimum illi sunt Divinæ in ecclis domûs inquilini faustissimi; quibus plena, certa, secura sempiterna felicitas

L. 22. de civit. Dei C.

30.

Gen. 35. 7.

Jacobus Jan-sonius in hunc locum.

Ps. 83. 11.

obtigit; ut ait D. August. qui ad faustissima illa tempe translatus; de quibus ex Gen. 35. æquissimo jure dicas: *Nomen loci illius: domus Dei: in quam qui admissi sunt domum, torrente voluptatis potantur, & inebriantur ab ubertate domûs Dei* Ps. 35. *illius scilicet voluptatis, que Deus est presentissima & abundantissima communicatione;* ut ait Jac. Ianfonius. Hujus inquam Divinæ & felicissimæ domûs inquilinos jure merito & David beatos prædicat; & nos cum Davide possumus eorum felicitati gratulantes dicere: *Beati qui habitant in domo tua domine.* Non injuriâ tamen, ut ego quidem ex S. P. P. mente arbitrator, & aliis alterius domûs Dei inquilinis illud Davidicum: *Beati qui habitant in domo tuâ domine* licet admodulari: iis scilicet qui è tabernaculis peccatorum è mundo in domum Dei in Religionem, in cælum quoddam terrenum ut vocat S. Joannes Climacus commigrarunt: extra mundum, quasi quidam cælitates, deinceps victuri; ut ait Eusebius Cæsariensis.

Propositio.

Cornel. à Lapide.

IMò verò AA. inò verò *beati qui habitant in domo tua domine!* beati qui habitant in domo Religiosa, terra

Sancta; domo Dei: Beati quia vivunt purius: Beati quia moriuntur confidentius: Duo hæc sunt hujus dictionis argumentum.

Confir. prima Pars.

Potissimam, inò omnem hominis in hoc mundo versantis beatitatem in immunitate à peccato sitam esse; nemo est, qui ignorare valeat; cum & morbos, & misérias vitæ humanæ omnes, & mortem & ipsas inferni pœnas, infelicem peccati infelicissimæ Parentis fœtum, ac prolem longè funestissimam esse, noverit: quod unum si ab humano genere abestet; nullum miseris, nullum calamitati, nullum morti, nullum ipsi inferno in illud jus esset. Jam verò in felicitatis hujus partem Religiosæ vitæ alumnos præ cæteris vocari nemo non videt, sit licet ipso Thiresiæ cœcior. Quòd si enim, ut vulgatum habet dîverbiû; occasio facit furem; qui à furti occasione fuerit remotissimus, non tantum à furti crimine; sed vel ipsâ furti suspitione quàm remotissimus sit necesse est. Jam verò quis ab infautissimi illius furti, peccati inquam occasione remotior esse possit, quàm Religiosæ vitæ sectator? Terna sunt potissimum retia; quibus ille callidus animarum venator Dæmon ita animas insectatur humanas; ut si unum effugerint; incidunt in alterum. Primum res externæ omnes; quod est concupiscentia oculorum; seu quod idem est, sitis avaritiæ. Alterum est corpus proprium; cui curando, omnibusque jucundis

oble-

oblectando quod indulgeat. Concupiscentia carnis nominatur: Tertium sunt alii homines; quibus imperare, vel saltem inter eos laudari, ac celebrari; & quoquo modo excellere, quia pulchrum putatur; superbia vitæ dicitur. Hos inter laqueos, hæc inter retia qui versantur; quàm facillè, imò pene necessarium est peccatis implicari: etenim quàm arcta, ut nomine, sic multò magis ipsâ re vitiis & divitiis est affinitas? quas Christus spinarum similes esse dixit Matth. 13. non solum quia virtutem bonorumque consiliorum sementem præfocant; sed etiam quia animum lacerant, ut Magnus ait Greg. Hom. 15. in Evang. & dum eum usque ad peccatum pertrahunt; quasi infecto vulnere cruentant. Atqui, beatus, inquit Clarevallensis Abbas Epist. 103. beatus qui post illa non abiit quæ possessa onerant, amata inquinant, æniffa cruciant. De concupiscentia carnis autem quid dicam? nullum est bonum quod ista pernicies ex animo non exterminet; nullum malum quod non invehat; nullum peccatum, quo non contaminet: neque aliud quidquam est quod ita nos bestiis similes vel potius bestias efficiat, quàm pestifer hic meretricis Babylonicæ Calix: quoniam rationem, per quam à brutis animantibus discrepamus, è sede suâ & statu exturbat; impedit consilium; ac denique mentis oculos perstringit, hebetat, obrundit; omnesque ejus cogitationes quasi in lutum ac cœnum demergit. Nempe ignis est; ut præclare habet Job. C. 31. v. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans & omnia eradicans gemina: nefas est & iniquitas maxima.* Iniquitas, inquam maxima est; quod omnia vitia velut hostes in civitatem captam introducat in animum; illa præsertim quæ ab eâ separari non possunt: quæ ideo Gregorius ejus exercitum appellat, enumerans hæc L. 31. Moral. C. 17. *De luxuria cœcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, precipitatio, odium Dei affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generatur.*

De nocentissimo autem vitio vel potius vitiorum omnium officinâ, quod superbia vitæ dicitur; verbum ego nullum dixerò: audiatur D. Basiliius: Serm. *Ne tempori affixi simus, ista cupiditas Cor pravitatis est. Quoniam non solum per se ipsa malum est sed etiam in cætera mala omnia impellit.* Audiatur Bern. Serm. 6. *Qui habitat: ambitio subtile malum, secre-*

*tum virus, pestis occulta, doli opifex, Hypocri-
sis mater, livoris parens, vitiorum origo,
criminis fomes, arugo virtutum, tinea Sancti-
tatis, excrucatrix cordium; ex remediis mor-
bos creans: generans ex medicinâ languorem.*
Nempe nihil est mali; nihil corruptelæ, quod ipsa secum non adferat. Radix cuncti mali superbia est, si credimus D. Greg. L. 31. Mor. C. 17. initium omnis peccati est superbia, si credimus sacris litteris. Atque hæc paulo fufius eam ob rem adduxi; ut constaret luculentius; quantâ sit hujus mundi perditio, ac deplorati miseria; quanta prope necessitas peccandi eis sit imposta; qui illius jugum trahunt. Ut enim ubi est pyrii pulveris ingens copia; summo ibi cum periculo ignis defertur; ac justissima est timendi causa; ne vel invito etiam tædigero, aut ignis bajulo scientilla aut strictura absistat; & magnum excitet incendium: haud aliter tot inter incentiva vitiorum, tot inter peccandi occasiones veluti totidem inter ignes longè periculosissimos se læsum non iriguis tuto speret? pulvis ignem, quin & grande incendium facillime concepturus est cor hominis: ignis sunt liberiores aspectus: ignis formæ elegantiores; ignis vestes; ignis blanditiæ, ignis sermones, ignis delicia; ignis focii; ignis libri turpes; ignis spectacula & comœdiæ; ignis gula, ignis odia: omnia ignis, omnia, quæ in mundo, ignis, ignis sunt. Hos inter ignes qui illæta sit salamandra, rarus, prò quam rarus est, corvòque simillimus albo? rarus; qui picem hanc tangit; & non inquinatur ab ea: Eccli 13. rarus qui non sordescit hoc pulvere: rarus qui immaculatum se custodiat ab hoc sæculo Jac. 1. *magni* namque est operis ait S. Leo Serm. 11. quad. *Magni est operis ac laboris; cum undique in-* S. Leo Serm. 11. in quadrag.
numera vanitatum illecebra blandiantur.
Et multa contagia: animi vigorem non relaxare. Ast verò religiosi: cum inter hos ignes non versantur; cur non sint illæsi? cum in Sodomis non morerentur; quâ ratione Sodomorum ignibus adurantur? cum picem illam non tractent; eâ ipsos non commaculati; quis dubitet? cum extra peccandi occasiones sint constituti; quis neget eos vivere purius? quis neget eos cadere rariùs? cum & interpolata juris jurandi religione abdicaverint atque in perpetuum abjecerint quidquid ad concupiscentiam oculorum, quidquid ad concupiscentiam carnis; quidquid ad superbiam vitæ quoquo modo pertinet:

Jobi 31. v.
12.

368 Religiosus vivit purius; moritur confidentius.

net: atque ita non tantum exarmarunt Dæmonem triplici illo telorum genere; sed etiam triplici sese vallo circumdederunt; itaque omnes intercluserunt aditus; ut ad eos hostis ne aspirare quidem commodè possit. Quid enim est in quo Draconis ac Leonis illius rabies religiosæ animæ noceat? non auri aut argenti, aut domorum, agrorumve cupiditate eam devincire; non contractibus illicitis illigare, non ad aliud illum iniustitiæ genus impellere potest; cum videlicet tantum absit ab alienis rebus concupiscendis; ut etiam suas reliquerit. Neque vero formarum illecebra ad intemperantiam valet excitare; à qua & animus voti vinculo, & ipsum corpus atque oculi libidinis Ministri parietum custodia arceantur. Neque periculum imminet ab ambitione; ut honoris aliquid adipiscendi causâ aduletur, mentiatur, invidet vel supplantet alios. Quæ scilicet omnia sic à se præcidit; ut non modo aliis præesse non velit; sed aliis se subesse gaudeat.

Quæ cum ita sint satis reor esse manifestum quod homo in Religione vivat purius cadat rariùs. Imo quid prohibet hic cum Thoma Kempensî L. 3. C. 10. exclamare: O grata & jucunda Dei servitus quâ homo veraciter efficitur liber, & Sanctus? O sacer Religiosi status famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem! sed his, ut ut verissima sint; non nullos importunâ oratione obstrepentes audio: esse etiam in Religiosis, quæ tantopere commendentur, domibus vitia & lapsus: esse qui vel in ipsâ Religione se parum probent: esse qui ejus, in quo sunt, loci sanctitati non respondeant. Quibus ego illud verissimè repono: ut in veste nobili aut candido in panno vel minima labe notatur; cum in sacco grandiores ne advertantur quidem; non quia non sunt grandiores; sed quia id in quo recipiuntur, ita deforme est ut nova illa deformitas non appareat. Sic etiam in sæculari vitâ plurimæ & ingentes culpæ silentio prætereuntur; quoniam ea res nihil novi habet: in Religioso autem statu etiam minimæ, ob statûs pulchritudinem ac dignitatem, magis conspicuæ sunt; sed tamen semper minimæ. Verum ut fateamur, in Religiosos quoque aliquos interdum & vitia irrepisse & lapsus; alios etiam ex eo statu cecidisse & cadere: verissime enim asseruit S. Hieron. Epi-

stola 4. in omni conditione & gradu optimis mixta esse pessima: num propterea derivato ab uno, aut saltem paucis in reliquos omnes crimine cunctos infamiæ & peccatorum damnabilis? profectò sicut ab unius alteriusve militis inertia totum exercitum malè dixeris inertem; haud secus unius, aut alterius Religiosi lapsus totius instituti splendorem obscurare non debet.

Est domus Religiosa Paradisus terrestris: non tamen propterea negavero in hunc ipsum Paradisum posse serpentes irrepere. In Paradisum terrestrem ingressus est serpens; serpentem Dæmon: num propterea Eva Paradiso jam exclusa dicere potuisset se in inferno fuisse? aut Paradisum inferni nomine diffamare? profectò infernum non fuit: quamvis in eodem Dæmon adfuerit: Paradisus fuit; fuit hortus voluptatis, fuit hortus deliciarum: fuit locus qui & amorem simul & desiderium jure merebatur. Quodsi in domos Religiosas nulli peccato, imperfectioni nulli pateret accessus; non terrestris, mihi crede, sed cœlestis esset Paradisus.

Memorat & Jobus C. 1mo: memorat & liber Regum tertius, convenisse cœtum Angelorum; utrobique tamen sanctissimis istis cœli inquilinis Dæmon sese malus immiscuit: *adfuit etiam inter eos Sathan*: ita Jobus: *Egressus est autem Spiritus* (quis spiritus nisi spiritus malus? quia spiritus mendacii?) *& stetit coram Domino & ait: ego decipiam &c. Et ero Spiritus mendax.* Num propterea hunc utrumque tu cœtum audebis velut conventum Dæmonum convitari? cœtus Angelorum est in Domo Religiosâ; nec propterea cœtus esse desinit angelicus; quod malus quandoque Dæmon eò irumpat, dicamne; an irreat?

Licet hic hujus rei exemplum capere ab Ecclesia, & ex toto corpore de uno membro argumentari: Nam etsi in Ecclesiâ non aliqui sed multi & multo etiam plures, quàm in Religione perditè vivant; ea nihilominus à Sancto capite, à Sanctis legibus, à viris, qui in ea nunquam non vivunt, Sanctis, *Sancta* appellatur; neque id impedit. Quo minus à Sancto Paulo Apostolo Eph. 5. *Sine ruga & sine macula* dicatur, quoniam ipsa per se institutio, quomodo à Deo condita est,

non

non quomodo à multis deformata est, inspicere debet. Haud aliter Sancti fuere Ordinum institutores; Sanctæ sunt eorum leges; & in singulis prudentes, quin & Sancti, à peccatoribus segregati & impolluti vivunt. Restat igitur verissimum esse Divi Bernardi effatum; hanc præ mundi asseclis prerogativam Religiosis competere; quod purius longè vivant, ac cadant rarius. Sed non tantum vivunt purius: non cadunt tantum rarius; sed moriuntur etiam confidentius: quæ pars est hujus dictionis altera.

Confir. secunda Pars.

Imò verò AA! confidentius, lætius, securiusque moritur quisquis in Religione vitam traduxit. Imò ut ait D. Bern. *cantando moritur & moriendo cantat*. Lacrymas vix tenui, cum legerem angelicæ vitæ Juvenem Joannem Bergmans accepto mortis propinquæ nuncio ægrorum, curatoris sese collo circumplexisse; æctoque strinxisse amplexu; ut significaret quanto animi gaudio perfunderetur: certe inquebat jucundior nuncium majorémque lætitiā nunquam mihi poteras attulisse. Audito deinde quod D. Aloysius accepto mortis nuncio *Te Deum Laudamus* recitasset; conatus imitari, rogavit adstantes; sese ut juvarent ibid. pag. 184. contentâ deinde acrique voce cantare cœpit Hymnum: *Ave Maris Stella*. pag. 195. Quid dicam de quo paulo ante memini, S. Aloysio, *imus letantes, imus letantes* modulante? quid de pientissimo Cardinale Joanne Bapt. Ptolomæi S. J. qui medico de præsentis mortis periculo timidè monenti dixit: non angaris animo, næ tu boni mihi nuncii es bajulus. Nostin? quid faciant Capucini; quando sub noctem ad quietem concedunt; decussatis supra pectus manibus dicunt: Jo non ho moglie: non ho figli: non ho crediti, non ho debiti: non habeo uxorem nec liberos? nemo mihi; ego nulli quidquam debeo: in nomine Patris & Filii &c. Et ita lucernam extinguunt. Quid de Patre Jacobo Granado; qui itidem ad mortis nuncium elatis manibus exclamavit: *letatus sum in his que dicta sunt mihi* &c. idem Davidicum carmen modulatus expiravit S. Petrus de Alcantara. Gerardus & genere & Religione D. Bernardi frater in illud Davidicum erupit: Laudate Dominum de cœlis! laudate eum in excelsis. Ita nimirum Religio-

R. P. Schmitz, S. J. Sest. Predigen.

sus, *ridebit in die novissimo*. Prov. 31. & ut ait doctissimus Salazar: mortem expectat; & cum risu & gaudio suscipit: verumque in illo demonstratur esse illud, si in quoquam alio, *sperat justus in morte sua*. Prov. 14. v. 32. Sperat A. A. sperat Religiosus in morte sua: sperat & non sine ratione sperat. Cum enim peccata lacrymis pœnitentiæ dudum eluerit; nubes remorsus eo non pertingunt, ut serenum olympi montis verticem, conscientiam ejus turbent. Sperat; quoniam nec agonis dolores malaciam tranquillæ ejus mentis turbare poterunt; cum per omnem vitam tot dolorum, injuriarum, morborumque victor strenuus extiterit; noveritque etiam; siquid labis per naturæ humanæ fragilitatem contractum sit, his expiari doloribus; quin & coronam gloriæ plurimum augeri! sperat quia cum à Deo accepta talenta quam potuit optimè, impenderit; rationes reddendæ nihil illi timoris injiciunt. Sperat; quod voluntas ejus semper fuerit in lege domini; viamque mandatorum ejus cucurrerit nec à recto tramite deduci sese passus sit quantumcunque blandiretur fallax mundi gratia, & vana pulchritudo sæculi nequam. Sperat quoniam per omnem vitam sedulo tractavit arma salutis indutus lorica fidei & charitatis & galeam, spem salutis. Non est, quod timeat; ne in mortis articulo dicere cogatur illud 1. Reg. 17. v. 39. *non possum sic incedere quia non usum habeo*. Sperat quoniam novit ex hac miserrimum valle in longè felicior se terram transferendum; ubi momenta temporis mutantur in felicissima sæcula; & tempus à faustissima beatissimaque æternitate absorbetur: *Sperat* quoniam intuens cœlum; sub cujus vexillis per tot annos fideliter *prælia Domini* præliatus est 1. Reg. 25. v. 28. Assaultus inimicorum toties devictorum non timet; certus omnino non defuturas sibi è cœlo suppetias aut à Regiâ Sanctorum, quam per vitam omnem continuis pietatis sibi demereri studuit exercitiis; aut ab amicissimo Angelorum cœtu; quorum cultum & factum & exemplo studuit propagare latius. Aut ab illis animis; quas frequenti precum & pœnarum suffragio piacularibus ex flammis ad cœlum transcripsit: ut merito dixerit S. Bernardus, quanta est felicitas eorum quam immensa lætitiâ, qui nimirum triplici gaudio de recordatione

AAA

transa-

1. Thessal. 15. 8.

Sermone 6. in Cant.

Viræ p. 3 pag. 175 edit. Ant. 1630.

Litteræ Romæ missæ 1726. 19. Januar.

370 Religiosus vivit purius ; moritur confidentius.

transactæ virtutis, de exhibitione præfentis quietis, de certa exspectatione futuræ consummationis exultant ?

De hac in domuum Religiosarum turgiolis morientium securitate quid sub mortem vel ipsius mundanæ felicitatis coracula sentiant, ex unius testimonio non pigebit æstimare. Philippus is sit Hispaniarum Rex potentissimus, ejus Nominis 3tius. Quæ igitur est illius hac de re sententia ; dum ad ultimam admotus vitæ lineam, amplitudinem Regni cum sepulchri angustiis, & Throni augustale cum sarcophago jam jam esset commutaturus non mea sed ipsiusmet Philippi verba quæso diligenter ex moriturientis ore excipite: O utinam annos istos, quibus regia cum potestate præfui, omnibus spectabilis, in obscuro Cœnobii Angulo, vasta in Eremo, horrida in solitudine Deo meo consecrâsem ! quanto nunc quietior abirem è vivis ! quanto securior judicis mei subirem conspectum ? Audin ? Philippus Hispaniæ Rex moriens in obscuro Cœnobii angulo potius, quàm in palatio mori desiderat : è vasta solitudine potius, quàm ex lecto eburneo in conspectum judicis cupit prodire : & tu (liceat quæso & tuam hic sententiam exquirere) & tu, quisquis es, mi Auditor ; & tu ubinam mori potius cuperes ? an inter Religiosorum pro te deprecantium choros ? an inter fœmineos Conjugis & liberorum sese deferi conquerentium ejulatus ? unde velles conspectui Judicis offerri ? an ex paupere cella potius, quàm ex cubiculo Phrygiis tapetibus ornato ; cujus ipsa fors aut te accularent, & damnarent etiam ? etsi nunc fortè confiteri erubescas ; confitebere tamen aliquando, securiorem moriendi locum esse cellam & domum Religiosam, quàm sint vel summorum Augustalia Principum. Etenim quid angat illum qui in cellula velut in nidulo securitatis moritur ? num fortè discessus à divitiis, ab honoribus, à deliciis & commodis ; à propinquis & amicis ? aut Religiosus cum sæculum relinqueret, & opes, & honores atque omnem quoque carnalem propinquitatem exuit. Unica Religioso restare posset molestiæ causa, nimirum ipsius vitæ amissio : verùm hujus quoque exiguus ad modum est sensus ; quoniam Religio ita animum assuefacit ; ut etiam dum his corporis compagibus inclusus est ; minimâ sui par-

te teneatur ; sed potius foras promineat ; dum se amore in Deum & desiderio in res Cœlestes effundit : Ut enim qui carnis curæ vel voluptatibus, vel terrenis quibuscunque rebus se dedunt ; eorum animus totus in hoc quasi luto demersus inhæret ; sic contra qui se integros castosque servant ; qui carnem coercent ; & in servitutum redigunt ; animum vero, sanctis excolunt studiis, eumque in res spirituales erigunt, ibique defixum tenent ; iis minima est cum corporibus suis contagio sed potius ut ait Paulus, eorum conservatio in cœlis est.

Quamobrem cum mori aliud nihil sit, quàm animam à corpore secerne- re ; quod Religiosi totâ vita fecerunt ; non tum primum mori incipiunt, cum spiritus migrat ; sed multo ante id meditati sunt, semperque id egerunt : ex quo fit ; ut nullus eos in hujus vitæ exitu molestiæ sensus mordeat.

Mentis enim bene consciæ securitas illam dat morientibus promptitudinem & securam hilaritatem ; ut acerbum mortis aculeum nec timeant nec etiam sentire videantur : sed illum accipiant velut clavem quâ sibi cœlestis aulæ portas aperiant, & quid ni moriantur summâ cum fiducia cum salutis æternæ cum moriantur præ reliquis Religiosi. Triplex inter eos qui ad cœlum se dicunt contendere discrimen, secundum triplex itidem statuum discrimen mihi videtur posse statui : primum est sæcularium : atque hi in ipsam flumen sese debent conjicere, & cum fluctibus naufragorum ad instar luctando in oppositam ripam eluctari. Secundorum paulò melior ; satis tamen periculosa est conditio, dum parvæ Phaselis beneficio in adversum litus tendunt non omni tamen à fluctibus periculo securi. Atque hi sunt Ecclesiastici statûs alumni præ secularibus securiores, si velint : sed tamen non omni discrimine perfuncti : quot enim pro dolor ! quot ejusmodi Vectorum Phasellos ut cum Virg. loquar, Notus in scopulos & saxa latentia torfit ! demersitque mari ?

Tertium genus Religiosorum est ; qui per amplum flumini instratum Sontem sic tendunt in adversam partem, ut perire nemo possit illorum ; nisi quem insana voluptas urgeat, ut è ponte in fluctus sese det præcipitem.

Hæres mihi minimè dubia est ; cum
 Serva-

Servatoris nostri apertissimam promissionem teneam : sic enim ait : omnis qui reliquerit Patrem , aut Matrem , & fratres aut domum & agros propter me , centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Hoc Matthæus C. 19. hoc Marcus 10. Hoc etiam Lucas C. 18. iisdem fere verbis commemorat ; ut hoc ipso ostendatur ; quàm id certum & notum esse voluerit Spiritus Sanctus. Omnis , ait , qui reliquerit : quâ tam generali promissione sic omnes comprehendit ; ut neminem velit exceptum ; non divitem ; non pauperem , non Nobilem , non ignobilem ; non qui multa , non qui pauca reliquit : modo quidquid habebat reliquerit ? omnis igitur occasio præcisa est diabolo cavillandi omnis diffidendi causa Religioso sublata. O grata igitur (sic enim jure videor mihi cum Thoma Kempensi exclamare) O grata & jucunda Dei servitus L. 3. C. 11. O felix veri Religiosi conditio ! O arrha æternæ felicitatis ! gaudeant alii vel auro , vel honorum plausu aut dignitate , modò speratâ , modò adeptâ : Religiosus verò multo majorem multoque veriore habet gaudendi causam , ex eo , quod tam certo indicio credere possit , imò verò etiam debeat nomen suum descriptum esse in illo vitæ libro , qui agni sanguine in Deipectore exaratus est : atque hæc instructus arrhâ , cur non confidenter moriatur Religiosus ? imò verò vivit purius ; moritur confidentius.

Epilogus.

Quid igitur superest Auditores Religiosi ; quàm ut & nobis ex animo gaudeamus ; & omnium Authori honorum Deo , si referre non possumus satis magnas opere , saltem quàm amplissimas agamus verbis in dies singulos , si non in horas diei omnes ; quod nos præ tot aliis melioribus gratioribusque futuris , de tenebris in admirabile lumen vocarit ; è tabernaculis , & periculis peccatorum infinitis abstractos in domum suam Religionemque adduxerit , susceperitque ; ubi &

purius vivendi opportunitas nobis superet maxima ; & sine mortis temporaneæ , sempiternæque timoribus moriendi dulcissimum solatium consequi possimus. Id autem ut consequamur ; omni nobis studio conicendum est , ut ephes 4. i. & dignè ambulemus vocatione nostrâ , seq. quâ vocati sumus ; cum omni humilitate & mansuetudine , cum patientia , supportantes invicem in charitate ; solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ut ambulemus *dignè Deo* ; Coloss. 3. 10. dignè domo Dei , in quam admitti sumus ; ne conqueri de nobis possit DEUS , quod *in terra sanctorum* , in domo Religiosâ , ubi tot Sanctas habemus leges , tot sancta exempla , tot sanctas exhortationes , tot sanctas inspirationes , quod in terra sanctorum , inter sanctos Religiosos ; ubi omnis peccato aditus videbatur exclusus ; planaque , & facilis ad virtutem & sanctitatem patet via , *iniqua gesserimus* ; ac in pœnam tanti tamque sacrilegi sceleris cœlo & salute exclusi *non videamus gloriam Dei*. Si enim ita olim minatus est judæis DEUS , quod in terra Sanctorum , in terra Israël , quam à Sanctis Patribus veluti sanctificatam in hæreditatem acceperant , iniqua gessissent : *in terra Sanctorum iniqua gessit ; & non videbit gloriam Domini* ; quanto magis hanc nos pœnam timere debemus , si in terra Sanctorum , in domo Dei , iniquè sceleratèque vivamus : eum centuplo plura , potentioraque ad evitandum peccatum , ad vitam cum virtute degendam præsidia habeamus. Ut igitur tantum à cervicibus nostris malum amoliamur ; nec domum Dei , terram Sanctorum , Congregationem justorum infamemus , facti *macula in gloria* , sancita voti Religione Paupertatis Evangelicæ , castitatis , & obedientiæ promissa , quàm accuratissimè servemus : hac ratione victuri purius ; morituri confidentius ; & æternum in cœlis experturi , quàm verè psaltes Regius pronunciaverit : beati , qui habitant in domo tua , Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te. Amen.

